



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Salubritas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A Quæ vero Gallina apud veteres Æsculapio est immolari solita, salubritatis indicium erat: propterea quod id sacrificii genus ideo ferunt institutum, quod harum caro levissimæ sit digestio- nis, ac perinde languentibus commoda. Hujus rei locupletissimum testimonium, apud Angelum Colotiumprehendimus: magnam quippe pedum gallinaceorum copiam proximis diebus defos- sam juxta cippum, in quo Romæ Æsculapii statua erat, loco qui hodie Vivarium appellatur: quis enim tanto numero pedes ejusmodi eo congestisset, nisi sacrificiorum reliquias ibidem relinquere mos fuisset?

SECURITAS. CAP. XVI.

A Tqui, veluti per Lauri surculum in ore Columbæ, & per Platani folium in Ciconiæ nido securi- tatem significari prodidimus, cur non etiam per gallinam, ad alam cujus Rutæ ramusculus ap- plicatus sit, securitatem eodem modo pingi, hieroglyphicumque sapere fateamur? siquidem, Africa- nus in iis, quæ de agraria Constantinus Cæsar colligi mandavit, ait, gallinas à seletutas fore, si Rutæ sylvestris ramusculus sub ejus alam applicetur. Quin Democritus etiam tradit, eo præsidio munitas: neque à Vulpibus, neque ab infesto quopiam alio animali contingi.

*Ruta in gal-
linis securi-
tatis symbo-
lum.*

DE GALLO. CAP. XVII.

Gallinæ galli significata quædam dissimulare nostræ fuerit vetecundia: utpote, quæ vix salvo verborum pudore scribi queant. Id tantum dicamus, gallum alitem, ejusdem nominis gen- tem interpretari. Scimus gallinaceum aliquando gentem ipsam Gallicam prodigio Vitellii demon- strasse, cui Viennæ pro tribunali jura reddenti, gallinaceus supra humerum, ac deinde capiti supera- stitit, quod ipsum venturum in alicujus Gallicani hominis potestatem portendit, ut Tranquillus etiam interpretatur. Is mos ab Antonio, primo aduvertariarum partium duce, oppressus est, cui To- losæ nato, cognomen in pueritia Becco fuit: ea vero voce gallinæ, rostrum & olim appellabant, & nunc uniuscujusque alitis nuncupant: quam locutionem à Phrygiis, omnium antiquissimis ema- nasse alibi diximus, quod illi cibum Bec dicunt vocabulo genuino. Et orto Galliarum aduersus Ne- ronem tumultu, Romæ passim columnis adscriptum est, GALLI TE CANTANDO EXCITARUNT: apte scilicet, ad ejusdem nominis gentem nuncupatione deflexa.

*Sueton. in
Vitellio. c. 9.*
*Herodotus
lib. 2.*
*Sueton. in
Neron. c. 45.*

TIB. IMP. NEQUITIA.

Qantum vero ad alitis petulantiam pertinet, crediderim lego pullum illum gallinaceum, qui exclusus est in manu Livie, Tiberium adhuc in utero gestantis, cum ipsa exploratu- ra an esset marem paritura, ovum incubanti galinæ subduxisset, idque nunc sua, nunc ministrarum manu adeo usque fovisset, ut pullus excluderetur: non tam sexum in Tiberio portendisse, quam salacitatem & procacitatem eam qua ille mox famosissimus fuit.



PURITAS ANIMI.
CAP. XVIII.

Sed quando sanctius fuerit hieroglyphica illa referre, per quæ animi divinitatem ex galli simula- chro apud veteres intelligi solitam, comprobemus? Pythagoræ præceptum est gallum nutrire: quod nihil aliud sibi vult, nisi ut divinam animi nostri partem, divinarum rerum cognitione, quasi cibo solido & cœlesti propemodum ambrosia pascamus. Quare Socrates moriens cum animi sui di- vinitatem, majoris mundi divinitati speraret se copulaturum, Gallum Æsculapio, id est, animorum Medico, jam extra omne morbi discrimen positus, debere se, dixit: cum enim de corpore migrandum intelligeret, convaluisse prorsus, arbitrabatur. Ut vero interpretantur alii, ea de causa dictum hoc à Socrate, quod lethali eo sumpto pharmaco, sanitatis beneficium jam sentiret, cum exiret à corpore, quo

*Præsertim
candidum,
à quo etiam
abstinen-
dum, quod
Mens sacer
& horarum
nuncius.
D. Laertius
in Socrate.*